



AN. XXI · N. 127.

MM. MAJO et JUNIO

AN. D. MCMLI

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)

# *Palaestra Exercitatoria*

## *Carmen Bucolicum*

*in honorem B. Mariae Virginis mense maio*

JULIUS. — *Ducite jam viridi celeres armenta sub umbra,  
servi. Nascentes teneros servate gemellos.  
Nuper enim parvos conixa matre relictos  
sustinui gremio et grati risere capellis.*

MELIBOËUS. — *Nunc sine tu, Juli, pecoris requiescere capris.  
Agmina jam festinant lenta madentia noctis,  
in campis tepidos suadent et frigora somnos  
sumere fronde recumbentes. Nos dicta dicamus  
pastorum, quoniam natalia festa Mariae  
accedunt propius. Jam, fontes, mittite habenas  
Arcades; hic, Juli, cantemus nosque puellae  
ripis virgineae teneris. Donavit odore  
prata novum gracili ver cum florente corona,  
Jam campus nitidis velatur vestibus audax,  
et coryli fulgent tectis candore lacertis  
verno. In parvo laetantur jam palmitum gemmae.  
Huc mecum succedas, quaeso, tu quoque Joseph.  
Nos ergo cantabimus; at tu percipe ludum  
auribus imis. Solvantur jam —currite fontes!—  
versibus, o Mater! Flagrante canamus amore.*

JUL. — *O caeli Regina, canentes conspicias ambos  
pastores pecudum. Vos, nostra voluntas,  
dicite versus hic, pueri. Sic ambo legemus  
carmina. Floribus et Matrem praecingimus omnes.*

MEL. — *Lauris collige sarta. Madentes imbre colores  
imponam supra nitidos candore capillos.  
O Virgo! Nive qui ramos succurre poëtae  
fert tibi candidiores et vaccinia lecta.*

JUL. — *Sunt hodie nati (ad rivum pascente capella)  
de minimi grege capri. Fulget pellibus album.  
Hos tibi pratis compellam jam pastor hibisco.  
Balatum discutunt Dominae profundere primum.*

MEL. — *O Corydon, vitulam per gramina pascere cura;  
praeterea gelidis ne fontibus ora memento  
inficiat. Cornuque juvencae lusit imago  
lascivum radiis Phoebum. Tibi munera dono.*

(sequitur in operculis)

# TEXTOS PALAESTRA

## Edición de texto y comentario escolar

Primer curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 1.º (2.ª edición)	12 ptas.
		» <i>Historiae Sacrae Compendium</i> (3.ª edic.)	5 »
Segundo curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 2.º (2.ª edición) ( <i>en prensa</i> )	
		» <i>Repetitorium</i> (Libro de prácticas)	15 »
		» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (4.ª edición)	6 »
Tercer curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 3.º ( <i>en preparación</i> )	
		<i>Ramos,</i> <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	5 »
		<i>Mir,</i> <i>Ciceronis Epistulae Selectae</i>	4 »
Cuarto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 4.º ( <i>en preparación</i> )	
		» <i>Caesaris de Bello Civili</i> , 2.ª edic.	6 »
		» <i>Ciceronis pro Archia poëta</i>	4 »
		» <i>Ciceronis in Catilinam</i>	4 »
Quinto curso	}	<i>Jiménez,</i> Latín 5.º ( <i>en preparación</i> )	
		<i>Martija,</i> <i>Vergili Aeneidos</i> (libro 2.º)	6 »
		<i>Mesa,</i> <i>Sallusti de Coniuratione Catilinae</i>	6 »
		<i>Mir,</i> <i>Nova et Vetera</i> (método directo del latín)	20 »
		<i>Planque-Planas,</i> <i>Gramática Griega</i>	36 »
Sexto y séptimo curso	}	<i>Jiménez,</i> <i>De Orthographia Latina</i>	6 »
		<i>Martija,</i> <i>Prudenti Carmina Selecta</i> (2.ª edición)	5 »
		<i>Sarmiento,</i> <i>Martialis Epigrammata</i>	4 »
		<i>Mesa,</i> <i>Tití Livi Historiae Selectae</i>	8 »
		<i>Zuluaga,</i> <i>Horati Carmina Selecta</i>	6 »
		<i>Ruiz,</i> <i>Homeri Odyssea</i> (Primer canto)	10 »
		<i>Ramos,</i> <i>Xenophontis Anabasis</i> (Primer libro)	12 »

## Edición de sólo texto

<i>Ciceronis Epistulae</i>	. . . :	2 ptas.
<i>Ciceronis in Catalinam.</i>	. . .	2 »
<i>Ciceronis pro Archia</i>	. . .	2 »
<i>C. Nepotis Vitae</i>	. . . .	2 »
<i>Sallusti de Catilinae Coniuratione</i>		3 »
<i>Tití Livi Historiae</i>	. . . .	3 »
<i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II)	. . .	3 »
<i>Horati Carmina</i>	. . . .	3 »

# CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadernados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

## VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28 —
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32. —
4. **BALTASAR GRACIAN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30. —
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30. —
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32. —

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

**EDITORIAL LABOR, S. A.**

MADRID: Alcalá, 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

# FOTOGRAFADOS

# CLARA

IGUALADA, 6 (GRACIA) · TELEFONO, 27'69'35

# BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# PALAESTRA LATINA

---

## De conjunctionum *quod, quia, quoniam* usu abolendo

—in subjunctis propositionibus enuntiativis—

### Causa commentationis

Duabus per motus disputationibus subtilibus, quae in «Alma Roma» anno MCMXL juris publici factae sunt (1), Josephus Ferrarius, presbyter Societatis Verbi Divini nuper mortuus, commentatione copiosa in «Societate Latina» Monacensi a. MCMIII evulgata, cui inscriptum: «De Latinitate vera atque germana», magnis rationibus allatis proposuit, ut in oecumenica Latinitate —sic nuncupavit sermonem Latinum hujus aetatis usui et necessitati accommodatum— juxta accusativum, cum infinitivo, conjunctiones *quod, quia, quoniam* in subjunctis propositionibus enuntiativis admitterentur. Quamvis in «Societate Latina» a. MCMXL pro virili parte ingenue contra rogationem Ferrarianam fecerim, tamen eandem de conjunctionibus *quod, quia, quoniam* commentationem, cum de re summi momenti et ponderis agatur, sane digna, quae frequentissimo auditorio orbis litterarii innotescat, lectoribus PALAESTRAE LATINAE retractatam offerre me subiit cogitatio. Negotium autem meum tribus transigam partibus. Primum disputabo de medii aevi Latinitate universa. Quo loco in meum usum conferam ea, quae Carolus Strecker (2), vir rei intellegendissimus, in sua ad studium Latini sermonis mediae aetatis introductione p. VIII ad XIV erudite de Latinitate medii aevi Germanica usus lingua disseruit. Equidem ea oculis legentium subjiciam Latine reddita.

Deinceps brevi conspectu usus conjunctionum *quod, quia, quoniam* praemisso, sequitur ut explicem, quam ineptum et a linguae Latinae ratione alienum sit pro accusativo cum infinito particulas *quod, quia, quoniam* adjungi verbis linguae et intellectus.

---

(1) Altera profluxit ex Alexandri Aurelii calamo et inscribitur: *De Latino sermone apud medias aetatis scriptores*. Altera Andream Avenarium habet auctorem. Titulus est: *De studio Latinitatis in gymnasiis*.

(2) K. STRECKER, *Einführung ins Mittellateinische*, Berolini 1939, 3 Ed. Ut spatio parcerem, omni copiosam, ut ita dicam, litteraturam, quam passim attulit.

Tractatio autem omnis concludetur brevicula meditatione de vi et natura veri humanismi.

**De Latino sermone medii aevi auctore Carolo Strecker,  
professore Berolinensi**

«Opus est scire Latinitatem medii aevi per aetates et gradus incrementa sumpsisse et progressum. Neque sic est res, ut aliquo die Latinitas classica esse desierit et in ejus locum successerit Latinitas media, sed haec media Latinitas est necessitas et continuatio classici sermonis, qualem scilicet apud sequioris antiquitatis auctores offendimus. Apud quos auctores multa jam apparent satis adulta, quae vulgo Latinitatis mediae propria esse putantur, velut adjectivum «proprius» pro pronomine possessivo, «tanti» pro «tot» multaque alia id genus. Quapropter Latinitatem mediam qui addiscere vult, prae primis in ejus sermonis, qui antiquitate inclinante adhibebatur, studio versari debet.

Latinitas autem vergentis antiquitatis rem obtinuit plane in Latinitate Ecclesiastica. Immo haec lingua etiam est continuatio Latinitatis posterioris, infectae sermone Patrum Ecclesiae (praecipue Tertulliani, Hieronymi, Augustini) et Latinitate biblica, quae et ipsa summopere vim Graecitatis Septuaginta virorum subiit atque opera et interventu Graecitatis biblicae effectum sermonis Hebraici perpessa est. De prioribus temporibus monendum est textus biblicos, qui ante Hieronymum in usu fuerunt et nomine Italiae comprehenduntur, frequenter caractere signatos esse omnino vulgari. Ex Scripturae sanctae et Ecclesiae sermone massa vocum praecipua in Latinitatem mediam promanavit, velut *anathema*, *baptizare*, *diaconus*, alia (praeterea scilicet gentium inter se commercio et consuetudine effectum est, ut cum rebus ad cultum civilem pertinentibus etiam nomina res significantia reciperentur, et *butina* pro *cupa*, *polis* pro *urbe*). Quod in locum accusativi cum infinitivo conjunctiones *quod*, *quia*, etiam *quontam* cum verbo finito substitutae sunt, id certo versioni Vulgatae tribuendum est. Quae facta, ut ita dicam, linguistica quamvis neglexeris, attamen ad sermonem medii aevi recte intellegendum summi ponderis est scire hunc sermonem summopere muneribus Ecclesiae obnoxium fuisse. Atque hac re Latinitas media abruptius separatur hinc a classico sermone, illinc ab ea, qua humanistae utebantur, ratione dicendi. Sequitur, ut accurata cognitio Vulgatae et quae antecedeant versionum et Patrum Ecclesiae librorumque liturgicorum, qui ab Italia valde pendent, pernecessaria sit.

Accedit tertio loco vis Latinitatis popularis. Initia autem Latinitatis mediae ex eo repetenda sunt tempore, cum ex vulgari idiomate Latino paulatim sermones romanici adolescebant atque eam ob causam necesse erat, etiam in sermonem inclinantem et labentem litteratorum, —quippe qui sensum intimum classici generis dicendi atque integritatis grammaticae et formae emendatae amisissent—, vocabula irrepere et formas, quae hunc evolutionis processum per-

cursurae erant. Ne illi quidem auctores qui linguae purae suavitatem usque sentiebant, vulgarem adhibere veriti sunt rationem dicendi, ut intellegerentur. Sic saeculo V exeunte sextoque ineunte ortus est sermo, cujus orthographia, morphologia, syntaxis a pristinis scholae regulis haud parum discrepabant. Qua in re praeprimis Latinitas aevi Merovingorum diffamata male audit. Recipiebantur porro praeter celticas mature germanicae voces, eae potissimum, quae ad jus et rem militarem pertinebant, posthac sermones romanici adulti vim suam exprompserunt. Neque vero huic sermoni ineuntis medii aevi labore assuescere rei studiosum facile est, at prorsus necessarium.

Dignum sane est scitu, quid hoc eloquio factum esset, nisi is, de quo agitur, rerum processus «renescentia», quae vocatur, Carolingica esset interruptus. Neque tamen putare licet hanc rerum mutationem opera et consilio unius viri effectam esse. Sed quoniam coeptum est genus dicendi scribendique ad exempla classica referri et componi, evanescent quidem a regulis decessiones, rariores fiunt corruptae formae, etsi ipse Alcuinus sibi interdum concedit libertatem adhibendi «commendite», «depromens», Paulus Diaconus «deridor», «mementes». Neque tamen ubique vigent studia pure et emendate loquendi, sed effectus diversorum elementorum in verborum delectu et structura adumbratus manet duratque, apud hunc auctorem plus, minus apud illum, pro cuiusque ingenio et familiaritate cum exemplis classicis facta varius. Hic vero sermo secundum exemplaria enumerata recognitus et quasi retractatus, qui non plane classicus est, sed multa, quae ex evolutione, quam descripsi, effecta erant, servavit atque novas formas procreavit, nomine Latinitatis mediae comprehendí solet. Sed haec nimirum Latinitas in scholis erat addiscenda et hac ratione indoles ejus adeo finita erat, ut ea in condicione semper maneret. Ideo non plane convenit linguae quae media aetate in usu erat, nomen vivae linguae imponere, quod nomen, si rem in universum spectas, in eam tantummodo quadrat aetatem, quae annum DCCC antecedeat, sed non jam amplius in ea tempora, quae annum DCCC erant secutura. Differt porro re ipsa hic sermo ab humanistarum Latinitate, quippe quae propter servilem antiquitatis imitationem omnino mortua nuncupanda sit, cum Latinitas media mutari et, prout res exigebat, flecti posset atque modificari. Jam velim cogitent lectores, quanta libertate quamque singulari arte lyrici poëtae medii aevi in hoc sermone dominati sint, quanta dexteritate scholastici philosophi hoc sermone tamquam instrumento usi sint in suis cogitationibus ad certam formam redigendis. Hic scilicet sermo non erat vernaculus, addiscendus erat in scholis».

JOSEPHUS HOLZER

Lebach (Realgymnasium) ,

(sequar)

# Notulae Stilisticae

## III. Quibus rationibus superlativa latina exprimantur <sup>(1)</sup>

Duplicis superlativorum generis significatio praemittenda est:

A) Superlativum *absolutum*, quod qualitatem in summo gradu collocatam significat; v. gr.: *muy bueno, bonísimo*.

B) Superlativum *relativum* seu *exclusivum*, quod qualitatem gradu omnium maximo designat; v. gr.: *el mejor de todos*.

### A) SUPERLATIVA ABSOLUTA

1) Superlativum absolutum exprimitur anteposita positivo particula *per* (vel *prae*, fere a poëtis et junioribus); v. gr.: *perjucundus, perutilis, pereruditus, permagnus, praeclarus, praepotens, praegelidus, cet.*

*Exempla:* Cum eo familiaritas est *pervetus*, (Cic., *Fam.*, 13, 59). Ex illis rebus unversis eloquentia constat, quibus in singulis elaborare *permagnus* est (Cic.). *Perjucundum* mihi teceris... (Cic.). Altera pars *per* mihi *brevis* fore videtur (Cic., *Cluent*, 1, 2). Ista mihi tua *perjucunda* a proposita oratione digressio (Id., *Brut.*, 85, 292).

2) Idem superlativum absolutum (*praesertim* ubi terminatio «-issimus» prohibetur) exprimitur *ope adverbiorum: sane, facile, admodum, maxime, valde, in primis, cum primis, perquam, egregie, vehementer, nimium, cet...*

*Exempla:* L. Classus cum esset *admodum* adolescens (Cic., *Off.*, 2, 13, 47). *Egregie* subtilis scriptor atque elegans (Cic.). Homo domus suae *cum primis* locuples (Id.). Homini *in primis* improbrissimo (Id.). *Valde* mirum (Id.). O fortunatos *nimium* agricolas (VERG., *Georg.*, II, 548). *Haud sane* commodum (TER., *Ad.*, 785). (Homo) *perfecte planeque* eruditus (Cic., *Brut.*, 81, 282).

3) Superlativum absolutum *geminis adjectivis* (vel *adverbiis*) juxta positis efferri sermoni Latino valde est familiare ac venustum.

*Exempla:* *Gratus acceptusque* (Cic.): *muy agradable*. *Acute arguteque* conjicere de re (Cic., *Brut.*, 14, 53): *muy agudamente*. *Divitiarum et formae gloria fluxa et fragilis* est (SALL): *sumamente deleznable*. *Inimicus atque infensus* (Cic.): *profundamente* *hostil*. O *terque quaterque, beati!* (VERG., *Aen.*, I, 94) ¡O *mil veces bienaventurados...*! *Commotus perturbatusque* (Cic., *Verr.*, 2, 4, 39, 85): *hondamente conmovido*.

### B) SUPERLATIVA RELATIVA

1) Superlativum relativum Hispanicum ad orationem relativam Latinam, ex comparativo et negatione effectam, saepissime redigitur.

*Exempla:* *Phidiae simulacris, quibus nihil videmus perfectius* (Cic.): *las más perfectas de todas las estatuas*. *Punici belli, quo nullum neque majus neque periculosius* Romani gessere (Liv., 38, 53, 11): *la guerra más grande y más arriesgada que hayán tenido jamás los Romanos*. *Patriam, qua nihil potest esse jucundius, nobis reddidistis* (Cic., *P. red. ad sen.* 1, 1): *lo más amado que hay en el mundo*.

(1) Cfr. fasc. 12<sup>o</sup>, p. 28



*Nota.* — Contra, vero, locutio patria: «es el argumento más fuerte de que echamos mano», aliaque id genus, convertuntur in: «hoc firmissimo utimur argumento».

2) Quandoque ad orationem ponderativam cum negatione et «possum», vel ad orationem correlativam peculiari modo confectam, reducitur.

*Exempla:* Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est ut nihil supra possit. (Cic., *Fam.*, 14, 15). *es tan grande e inmenso...* Vita quidem talis fuit ut nihil possit accedere (Id., *Am.*, 3, 12): *su vida fué tan extraordinaria que no se le podría añadir nada más. Tam (sum) mitis quam qui lenissimus* (Cic., *Sull.*, 31, 87): *soy sumamente apacible, la misma apacibilidad. Tam sum amicus Reipublicae quam qui maxime* (Id., *Fam.*, 5, 2, 6): *como el que más.*

3) Haud raro, praesertim apud Livium et recentiores, hujusmodi superlativum ope genetivi vel ablativi partitivi, efficitur.

*Exempla:* In occultis et reconditis templi (CAES., *B. C.*, 3, 105, 4): *en lo más oculto y escondido del templo.* Cum expeditis militum (Liv., 30, 9, 1): *con los soldados más desembarazados.* Cujusvis artis difficillima (Cic., *De or.*, 2, 16, 69): *las prácticas más difíciles de todo arte.* Crassus ex Romanis ditissimus habetur (Cic.). E tribus junior. (APUL.).

### C) SUPERLATIVUM TUM ABSOLUTUM TUM RELATIVUM

Aliae, demum, afferri possunt rationes quibus superlativum tum absolutum tum relativum eleganter ac venuste classici efferunt:

a) Per substantiva abstracta quae Hispanicè vi adjectivi gaudent.

*Exempla:* Nec sine varietate doctrinae satis politus et sapiens esse orator potest (Cic., *De or.*, 3, 21, 80): *sin una vastísima erudición.* Libertatem vestram non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt (Cic., *Rab.*, 3, 10): *por penas acerbitas..., por leyes muy suaves..* Nondum ex longinquitate gravissimi morbi recreatus (Cic., *Phil.*, 10, 8, 16): *no enteramente restablecido de su muy prolongada y gravísima enfermedad.* Cibus unguium tenacitate arripiunt (Id., *N. D.*, 2, 47, 122): *con sus robustísimas garras.*

b) Per metaphoras quae intensitatem vel excellentiam quandam denotant.

*Exempla.* Tuo beneficio adhuc vivit haec pestis (Cic., *Fam.*, 10, 28, 1): *este hombre indignísimo.* Qui locus quietis plenissimus videbatur, in eo maximae moles molestiarum exstiterunt (Cic.): *grandísimas inquietudes...* Aestus febrisque (Cic., *Cat.*, 1, 13, 31): *elevadísima fiebre.* In ipsa flamma civilis belli (Id., *Ep.*, 16, 11, 2): *en lo más encarnizado de la guerra civil.*

c) Per Adjectivum «plenus».

*Exempla:* Requies plena oblectationis (Cic., *Am.*, 27, 103): *un reposo sumamente delicioso.* Consilium plenum sceleris et audaciae (Id., *Am.*, 10, 28): *proyecto temerario en extremo.*

DOMINICUS A. BELTRANI, C. M. F.

«Villae Claret», apud Cordubam, in Argentina.

MONTERRAT DEL AMO. — *Misión diplomática.* — 110 pag. Escelicer, Madrid.

Opellis «Bibliothecae lectionum exemplarium» annumeranda est haec fabula commenticia, auctoritate ecclesiastica munita, in qua praeter argumentum — in hoc operum genere praecipuum — minutae ac tenerae res, tristes ac simplices narrationes eminent. — C. C.

# Commercium epistulare

*Andreas Avenarius, S. D. V.*

*Josepho Mir, colendissimo presbytero C. M. F., S. D.*

O quam me pudeisset annis vitae superioris diuturnae, cujus factus victima es, meae taciturnitatis! Sed adeo jam occallui, ut ne excusandi quidem vocibus utendum censeam. Et fortasse tu ex mea tarditate fructum capies gaudii, cum sciveris tuas litteras, et illas, quas Albicornio <sup>(1)</sup> dedisti III kal. sept. et eas, quas postea III kal. dec., hic ad sinistram meam jacere quasi antesignanas vel viginti aliarum epistularum datas ad me ab iis, qui ubique terrarum responsiones expectent meas non minus quam tu mirati prorogationem silentii...

Ecce tibi! dum haec scribo redditus est fasciculus centesimus vicesimus quintus mensium januarii et februarii ejus qui volvitur anni superba illa ornatus, qua antea, aquila. Et postero tandem die etiam S. Antonii Claret numerus peculiaris. Magnam habeo gratiam. Decursa in illo fasciculo parte provocatoriae epistulae meae, non «de quibusdam novis vocabulis in Latinum inducendis», sed «de hodierno colore delectuque vocabulorum vetusti sermonis Latini». Scin quid ego cogitare coeperim faciendum fuisse illa epistula? Totam excudendam fuisse in uno eodemque fasciculo cohortandosque lectores, ut jam, quid probarent quid improbarent in ea Avenaria audacia, libere proferrent. Quantum enim quemque mihi invenias, qui, quemadmodum pater Medae fugientis sparsa filii membra colligat, ut totius corporis saltem aliquam similitudinem filii contueri possit, sic edita illius perorationis extrema parte mense aprili, duorum annorum perlegat membra et colligat, ut propositi mei vim et significationem uno quasi obtutu mentis complexus vel assentiatur vel respuat.

Georgiolum illum Pelleterium priusquam Latine reddere coepi ad Fornarium veteranum attuli libellum scriptum Italice, ut legeret, nam paratum me illam narrationem Latine reddere quam in *Alma Roma* perscribendam curaret. Avenari, dixit, perlectum librum restituens, argumentum moliris lepidissimum, sed est cur nolim recipere *Almae Romae* paginis. Nam res in biennii spatium ducetur et tamquam guttatim porrecta parum lectorum tenet animos, quippe qui illae continuationes separatim positae quorsum pertineant, quem locum obtineant in re universa parum perspicientes quodam etiam taedio ad legendum tardentur. Huic tum sententiae non potui non acquiescere, etsi videbatur id non adeo valere in narratione. Sed in quaestione proposita illoque argumento, quod supra dixi hoc esse «quo colore hodie vetusta prodiret Latinitas», ejusmodi membrositas non potest non retundere argumentationis

(1) *Weissenborn*, vocem Germanicam, Latine vertit.

impetus. Sed cave cogites me hic, quod factum est, vituperare velle et deterrere, ne fiat in posterum. Sed cum quod istiusmodi thema in medio ponendum erit maximeque si epistularis collocutio erit, si lectores oblectare atque permovere rei disputandae aut defendendae leporibus voles, et si per paginarum numerum licuerit, ejusmodi thema, ut non per partes, sed totum integrumque typographandum cures, sim auctor.

Hoc loco illa recordationum vicinitas vel cogitationum concatenatio vel quam aliam mavis vocitare associationem, quam dicunt, idearum, haec fecit ut memorato supra Georgiolo Pelleterio interrogare te debeam, sintne etiam apud vos lecta, quae meo iudicio rectissime in *Observatore Romano* nuper scripsit illustrissimus et reverendissimus vir Antonius Baccius de nova illa interpretatione Latina opusculi, quod a Carolo Collodio inscriptum «Le aventure di Pinocchio» ab Henrico Maffacino factum est *Pinoculus*. Qui liber multum in manibus est hujus Italiae pueris et redditus etiam Germanice est et fortasse etiam Hispanice. Hic ego reperio, ante nunquam quod noveram et tecum communicatum velim. Interpres ille Germanus eundem librum inscripsit: *Die Geschichte vom hölzernen Bengele*. Quibus ego Latinis verbis hanc inscriptionem Germanicam tibi reddam? Itur antiquo praecepto et usu ad lexica. «Bengele» in illa regione ubi tu ferias egisti, deminutiva et blandientis fere forma est nominis, quod est «der Bengel». Quem nos notandi gratia «Bengel» compellamus, hunc video a quibusdam «puerum agrestem» dici. «hominem rusticum (*hombre duro, rústico, estúpido*). Ah nihil vos, quod sit verbum pro verbo? Ecce Georges «rupicem» mihi offert, quem nondum noveram. *Rupex* ductus a *rupe* hominem illum durum, rusticum, agrestem exhibet. Nunc, si per censores licuerit puerum subagrestem, rusticulum, cui tamen bene velis, «rupiculum» clamare, idem sonare videtur quod nostris, Germanorum, auribus est «das Bengelchen» et Suebis tuis «Das Bengele»; habemus, qui Latine dicamus illum Germanicum *Pinoculi* titulum, ut sit «*Die Geschichte vom hölzernen Bengele*» Latine redditum «*De variis Lignei Rupiculi casibus*».

Sed haec ego non eram dicturus. Dicturus eram quid mihi *Pinoculum* empturienti unus ex tribus, quos adieram, bibliopolis dixerit: exemplarium editionem primam decem millium intra paucissimorum dierum spatiolum divenditam esse et novam jam adesse editionem. At mihi, inquam, res solacio est, quod studia Latina sic ardent sub favilla adhuc in Italia. Et cogitare coepi tecum tacite: O, illum Georgiolum, illam Scoti expeditionem antarcticam non etiam valere potuisse ad oblectandos in provincia Latinitatis adolescentium animos, si in hac Italia typis mandata fuisset? cum praesertim Georgiolus Italus esset?

Sed heus, Avenari noster, quousque garriturus es rupto post intervallum silentio? O, possum disertus esse relectis illis quae scripsisti in illa Albicoriana epistula. Ubi ego intellego ita tecum actum esse, ut actum est tecum illis primis hebdomadis post meum in aeternam Urbem adventum. Tum ego

in viis et plateis sanctos homines et plenos religione incedentes videbar cernere, utpote qui inter Apostolorum Martyrumque monumenta et reliquias moverentur. Postea tamen acutius cernens singula et saepius me hominem inter homines deprehendi, rupices quoque adesse vidi et utinam qui tantum rupices essent! Tum vero coepi ego multa majoris facere eorum institutorum et consuetudinum, in quibus puer versatus essem ignarus, ut fieri fere solet, quantum boni esset in manibus. Et manserunt, sicut ipsae litterae tuae testantur, nonnulla patrum instituta ex eo genere, quae faciebant, ut non raro diceretur a viris exteris «Germaniam docere». Sed multa hodie etiam fucis illita videas divina luce quae purganda sint. Multa etiam inimicus homo tritico insevit zizania.

Semel ego in vita via ferrea praetervectus sum Albicornium, natale solum Antonii, Ratisbonensis Episcopi, ubi quidam ex convectoribus in edito loco commonstrans aedificium novum, collegium esse docuit Claretinorum, ita amplum, ut vel ducentos alumnos caperet. Sed fortasse ne fuit quidem Collegium Claretinorum. Tu hoc age, ut etiam proximis nonnullis annis Albicornium feriatum properes. Nam sic mihi jucundum est somniare: me venturum serius ocius illuc, te ducturum mecum in «Silvae saltus Bohemicae», tibi ostensurum «Montium et vallium decus»; te vicissim circumspecto illo terrestri paradiso «jussurum valere carissima». Gratias proprias tene pro diribitoria a. d. III kal. dec. data, cui a me post idus Martias, ut mereris, respondebitur. Vale.

**De «clero indigeno».** — Bombax! Paene oblitus sum quod me vel maxime oporteret dicere. In documentis Romanae Curiae frequens est, proximis praesertim aerae missionariae annis, vox «cleri indigenae». Atquin sunt et haud scio an in primis, quorum lingua Anglica est, quibus «indigena» clerus perodiosus est, cum in illorum mente, ubi «indigenus» insonuerit nascatur nescio quid inferioris notae minorisque existimationis. Quibus puto respondendum esse non ideo abstinendum esse in lingua Latina a quibusdam vocabulis, quibus qui nunc sunt homines parum honorificas parumve etiam honestas significationes affinxerint — nam non paucis vocabulis isto pacto igni interdiceretur et aqua— sed tamen necesse non esse indigenam substantivum adjective semper ad substantiva masculina copulari, nullam aliam ob causam quam quod id genus exempla praebeant Ovidius, Florus, Plinius, Gellius. Multo mihi magis placet clerus «indigenus» eodem jure quo veteribus auctoribus *alienigenus*, *caeligenus*, *terrigenus*, *aquigenus*, trium generum patientia adjectiva sint. Quin etiam Georges noster Apulejum dicentem facit: «indigenum sermonem excolui!» Sed tamen ipse testimonium hoc frangit sic prosecutus: «ubi tamen haud scio an cum Koziol scribendum sit «indigenam». Ain' tandem? Tu excole *indigenam* sermonem, ego simul in Novam Guineam, ubi ingens numerus linguarum dialectorumque est, *indigenos* sermones addiscere conabor. Intellegis, mi Joseph, Avenarium numero colatorum culicum

habere, qui cum habeant illa quae supra protuli adjectiva in *-genus, -gena, -genum* exeuntia, satis non viri sint ut unum hoc quod est «indigena» flexione non privent, quod lexicographi colligentes certae aetatis vocabula nullum certum exemplum «flexae indigenae» offenderint. Haecine est illa Latinitas, quam nos vivam fecundamque cupiamus? Aptissime etiam «*ingenuum*» clerum dixeris; sed reclamant Itali, qui audito «ingenuo» nihil noverunt cogitare, nisi suum adjectivum quod est «ingenuo» simplicitatem et stultam bonitatem, infantium sinceritatem designans. Ad PALAESTRAM rem defero. Illa iudicet de «ingenuo» clero et de aliis, quas a me collectas hic pono, vocibus. Mihi illi sacerdotes indigenae sunt etiam *enchorii* sacerdotes, clerus *endemijs, internus* vel *intestinalis* clerus. sicut sacerdotes ex aliis terris advecti *alienigeni*, clerus *exter, exterius, externus*, sunt. Praeterea temptandus etiam *domesticus* clerus, *patrius, autochthon* clerus. Exspecto me prudentiorum sententias lectorum PALAESTRAE... Et jam liberius ducas post tantum sermonis spiritum et valeas. Ex urbe Roma, VI Idus Februarias, anno Christi 1951.

*Josephus M. Mir, C. M. F., P. Andreae Avenario, S. D. V., sal. pl.*

Benignitatem tuam, nisi cognitam atque perspectam haberem. cur mihi succenseris, profecto esset. Nostris tamen indulge negotiis... Neque vero amicitiae ac litterarum officii sum oblitus, nam jam diu est cum in conficienda lucubratione —qua lectoribus ostenderem quas sequi oporteret leges ac normas in novis procudendis vocabulis— totus incumberebam, illamque una cum hac responsione mea, ad litteras tuas ex Urbe datas VI idus februarias, mittere peroptabam. Ne tamen diutius sollicitus sis, has tibi mittere constitui, ac subinde, quam promitto lucubrationem, a te recognoscendam atque probandam mittam.

Quod id «Pelleterio» tuo et epistula —qua sententiam defendis in novis effingendis et aptandis verbis— peractum doles, —quod nimium scl. in partes fuerint dispertita—, et nos profecto dolemus, sed alia via et ratio neque succurrit neque dabitur praecipue cum hominum placita varia sint: quod tibi placeat, alii displiceat...; qua re qui rem tenet, omnibus morem gerere curabit, si ab omnibus legi optat...

«Pinoculum» illum recte «*rupiculum*» es interpretatus; in quo legendo plurimos oblectari gaudeo: utinam id apud nos consequi possemus; cuius versionem, ab aliquo Socio in Urbe commorante, exquiram perlegendam.

Quae de tomo PALAESTRAE LATINAE facere tecum cogitas, probo; quod si aliter videbitur, donum quod fuerat antea, donum in sinu remaneat...

Ceterum tecum probo clerus «*indigenam, indigenum, patrium, domesticum*» atque clerus «*alienigenum, exterum*» —et «*adventicium*», si placet—; reliqua non improbo, melius tamen ab iis ego abstinebo.

Tecum una saepe Bavariam tuam cogito ac mente, quae videram, agito...

Promissa accipies. —Haec in adversariis Sarignena scribebam recurrente vigilia Paschatis Domini, quod tibi felix, faustum, fortunatum ex imo adprecor. Vale VIII kal. apriles, anno D. 1951.

# Lucretiana 1950<sup>(1)</sup>

103 fert haudmanum; quaeritur, an illa vox «haudmanum» forma nativa adjectivi «humanum» sit necne. -au in -u commutatum est cfr. K 1.28, 11; «hudmanum» in memoriam vocat adjectivum Graecum *χρῆματιον*, ubi *χρῆ* latine *hud-* reddere videtur; valde verisimile esse apparet «haudmanum» formam vulgarem et priscam pro «humano» stare; cf. «homo» K 1.315; E-M 457.

152 quit quoti tangi; «quoti» pro «quod si» scribendum videtur; quot (oppositum «tot») ad formam «quoti» auctum est, quae forma in «quotiens, quotidianus» recognoscitur; cui formae respondet «toti»; cf. totidem; quoti = quantum numerale.

195 quod quoniam rerum ignorem; «quod» = ablativus «quo» et *d* = «quod» = conexio relativa pro «eo» = ideo, itaque; «ignorem» = conjunctivus etiam conjunctione «quoniam» efficitur; St - Sch 753.

201 inde aquilam partem; «aquilus» attinet ad «aquilonem»; aquila pars = pars orbis terrarum septentrionalis; Th. l. l. «aquilo» 377, 13 et «aquilus» 378, 39; hoc loco Lucretius Germaniam describit. quae descriptio vel subito postquam Caesaris nuntium de expeditionibus in Galliam et Germaniam factis Romani audiverunt, ab ipso poëta in carmen assumpta est; unde diligentius definire possumus, quo anno Lucretius librum *quintum* composuerit.

291 at primum jactum; «at» habet etiam vim copulativam; cf. *atque*; *a* et *u* saepius confunduntur.

410 at pereunt res; «at» habet vim copulativam.

440 omnigeneis e principiis.

468 undique clepsit; Th. l. l. «clepo» 1.337-1.338; St. - Sch. 129.

482 et salsod offudit gurgite fossas; -od cf. K 1.284, 6.

507 Ponto mare, certo quod.

530 quae possint esse per omen.

535 ecvanescere.

550 grandi tonitrum; tonitrūm = genitivus pluralis = tonitruum; K 1.459.462; «grandi» pertinet ad «motu» 551.

553 partibus aërii mundi; «aërii» est hypallage adjectivi, quod conectendum est cum «partibus».

644 quod volvunt; «quod» = quia.

736 ordine cum cernas tam certo.

737 at Ver et Venus et Veneris; «ad» = at cum vi copulativa.

755 ipsa suade; «suade» vel «suaded» = sic cf. etiam supra 384.

776 quove modo cuperent effecto.

---

(1) Cfr. fasc. sup.

- 833 et ec contemptibus exit.
- 846 natura absorbit auctum.
- 901 flamma quidem caeli cum corpora; «caeli» ante «cum» haplographia periit.
- 906 ore ferax; «ferax» indicat Chimaeram non desinere flammam efflare.
- 966 ter manuum mira freti virtute; «ter» pertinet ad «mira», forma superlativi; cf. *terque, quaterque beati*,
- 987 infarta cubilia fronde; «infarta», cf. COLUMELLA, 12, 53, 2.
- 1002 ne temere in cassum; «ne» = *νή*, certe; cf. PLAUTUS: *Captivi* 857; St - Sch 640.
- 1010 nunc nudant se sollertius opis.
- 1012 in unum (novus versus a me additur:) lectum atque in coitus amorum aptissima membra.
- 1013 cognita sunt.
- 1101 mortalibus ignes.
- 1105 magis im victum; «im» = eum cf. K 1.588. 591. ex 1.007 «qui» intelligas «ii» ante «monstrabant».
- 1164 florent rata.
- 1178 posse rebantur.
- 1179 fortunisque deos longe.
- 1185 nec poterant quibus is fierent cognoscere causas; «is» est reliqua pars formae «eis» quae idem valet atque «is» vel «ēs» in prisca lingua latina et est nominativus pluralis pronominis «is ea id». K 1.592.
- 1190 dia dies; cf. Ilias 17.455 *ἑρὸν ἡμᾶρ*.
- 1192 nubila, sal, imbres.
- 1213 finis, quod moenia; «quod» = quoad, cf. St - Sch 768.
- 1215 donata salute in; «in» attinet ad «perpetuo... aevi... tractu».
- 1265 fastigia protundendo.
- 1266 silvasque eccaedere possent; «eccaedere» est forma vulgaris pro «excidere».
- 1273 jam fuit in pretio; «jam» eodem sensu atque «etiam» intellegas velim; «jam» optime quadrat ad descriptionem, quae hoc loco non est argumentatio.
- 1278 et ec contemptibus exit.
- 1300 et biiugom prius est.
- 1302 turrato corpore tetrod.
- 1328 in se tracta suo ninguentes sanguine fena.
- 1406 voces ed flectere; «ed» = et K 1. 35.
- 1442 velivolis florebat propter honores; «velivolae» usurpatur ut substantivum, scilicet «naves».

EMIL ORTH

# Nova et Vetera

## TRICLINIUM

Postquam in culina cena apparatus est, convivæ omnes cum domino ad triclinium accedunt. Ti. Flavius praeit signatque domus loca; ipse nostram de triclinio proferet explicationem.

«Majores nostri — sic Flavius — in atrio, in tablino quondam cenabant, deinde cum in Urbe incolarum multitudo crevit, cenacula in domus contignationibus structa sunt, ibique cenationes instructae. Cenatio igitur in superiore domus parte construitur, triclinium vero in infima; angustior illa ac domesticis propria, istud vero amplius atque excipiendis hospitibus saepe reservatum.

«Triclinium, quo nos aestivo et autumnali tempore utimur, ad porticum est situm, ejus et columnas conspiciatis, ac velum quod protenditur ne solis ardor discumbentium capitibus noceat. Hiberno tempore lecti ad cenandum in atrio sternuntur ubi frigoris vis est temperatior. Veteres mensae assidebant; cenam sumentes deinde, ut apud Graecos, mos invaluit ad mensam discumbendi; quondam «feminae cum viris *cubantibus sedentes* cenabant»; <sup>(1)</sup> nunc vero subinde vel ipsae mulieres cum viris ad mensam accumbunt; pueri tamen ad lectorum fulcra, servi vero in subselliis assident. Viro Romano probro esset ac dedecori cenam sedens capere, quod tamen jure jurando vir praestantissimus Cato se facturum praestitit donec Caesaris unum staret imperium.

«Lecti, quibus ad mensam accumbimus, tricliniarii vocantur; mos est in convivii lectos tricliniarii apparandi, qui singuli trium discumbentium sint capaces. Tres hi lecti ad latera mensae quadrae apponuntur quo unum latus mensae ministrantibus relinquitur vacuum. Intranstibus ad laevam est lectus summus, ad sinistram imus, medius in medio. Lecti *toris*, instruuntur, quibus *pulvini*, et *stragulae* seu *accubitalia* imponuntur singulis convivis; tres pariter sunt loci in unoquoque lecto *summus*, *medius*, *imus*. *Medius* lectus majore in honore habetur et in eo locus *imus consularis* vocatur; in reliquis lectis locus praestantior summus esse solet, qui ad caput lecti — ad fulcrum — est. Lectus tricliniarii tres convivas capiens uno constat lecto, ali-



(1) V. Max. 2, 7, 2.




quando tamen tres lecti inter se segregantur —quod et in pictura videtis—. In lectis tricliniaribus neque sedemus neque prorsus jacemus, sed corpus ita conformamus ut ejus pars inferior jaceat, superior vero supra pulvinum cubito sinistro innixa aliquantum sublevetur et dextra ad capiendum cibum libera sit.

•Nunc autem —narrat Flavius— in mores nostros inductum est *stibadium* seu *sigma*, lectus scilicet semicirculi formam habens, quo quidam utuntur pro triclinio seu tribu. lectis ex quo mensae citreae —rotundae— magni in Urbe aestimantur. Ordo vero in stibadio accumbendi alius est atque in triclinio, nam honoratior locus in cornu dextro est, secundus in cornu sinistro primus, deinde proximi huic sequuntur tertius, quartus, ceteri. Quorum discumbentium numerus multiplex ac varius —secus atque in triclinio— esse solet».

Quae tamen Flavius enarravit ut altius menti inhaereant convivas in pictura discumbentes inspicere, ubi mensam quadram, lectos, toros, pulvinos, accubitalia vides; quanquam pictor tertium praeteriit convivam et lectum medium. Calices levant bene domino dicentes eique propinantes.

Quo facilius discumbentium ordinem memoria teneas schema tibi oculis subjiciam, quorum nomina sunt:



Quo etiam locutiones intelleges *summus* seu *superior* seu *supra* accumbere, *infra* seu *inferior* accumbere.

#### PROVERBIA

Etsi non laedit, maculat sartaginis ictus:  
*el golpe de la sartén aunque no daña, tizna.*

Cum satur est venter, cantat quicumque libenter:  
*bien canta Marta, después de harta.*

Cum satur est felis, se totum lambere gaudet:  
*bien se lame el gato, después de harto.*

## LOCUTIONES

accumbere alicui in convivio,  
mensam apponere,  
instruere, apparare cenam,  
mensam exquisitissimis cibis instruere,  
ad mensam assidēre, considerare,  
caput cenae,  
mensae exstructae,  
adhibere aliquem cenae, ad cenam,  
integram famem ad ovum affero,  
ab ovo usque ad mala,  
invitare ad cenam,

*ponerse a la mesa junto a uno*  
*poner, preparar la mesa*  
*preparar una comida*  
*preparar la mesa con platos exquisitos*  
*sentarse a la mesa*  
*el plato principal*  
*mesa muy bien preparada*  
*admitir a uno a la mesa*  
*tengo mucho apetito*  
*del principio al fin de la comida*  
*invitar a una comida*

J. M. MIR. C. M. F.

# Bibliographia

RUFINO J. CUERVO, *Disquisiciones sobre filología castellana*. — Publicaciones del Instituto «Caro Cuervo», Libr. Voluntad, Bogotá, 1950.

Hoc novo Dni. Rufini J. Cuervo quinque numerantur volumina quae «Institutum Caro-Cuervo» in Columbia pervulgavit. Egregius ille vir ita praestans ingenio fuit, praesertim vero in his artibus quae ad humanitatem spectant ac de puritate sermonis tractant, ut Institutum patrium duo volumina in clmi. viri memoriam dicaverit, primum: «Obras inéditas de Rufino J. Cuervo», ac nuper «Disquisiciones sobre filología castellana».

Dnus. Raphaél Torres Quintero colligere studuit ea opera minora Rufini J. Cuervo per diversa loca sparsa ac dissociata. Sub eodem titulo «Disquisiciones sobre filología castellana» Dnus. Cuervo seriem quandam monographiarum linguistarum parabat; qua de causa, Dnus. Quintero ea studia quae aliqua ratione inter se conecuntur, huic operi inserit: studia philologica et epistulas quae ad scientiam pertinent aut quae de critica litteraria tractant.

Erunt forte qui opus quandam permixtam collectionem esse dicant, sed in errore versantur, namque auctorum ac rerum indices utilitatem maximam praebent. En aliqua capita in hoc praestantissimo opere enuntiata: «Filología española, El castellano en América, Muestras de un diccionario

de la lengua castellana», praesertim vero maximi momenti est lucubratio cujus index: «Casos proclíticos e inclíticos» et alia.

Auctor in hac permixta collectione ordinem strikte chronologicum maluit servare et quidem unitatem praebet, sed momentum atque commodum addunt copiosae notulae et introductio Dni. Raphaelis T. Quintero, qui studiose ac singulari amore erga patrium auctorem opus philologicum Rufini J. Cuervo dispersum perscrutavit atque selegit.

CICERÓ, *Tusculanes*. — Text revisat i traducció de Eduard Valentí. — Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1948.

Rursus Institutio «Bernat Metge», quae tot volumina ediderat, opus vere arduum in Catalanicum sermonem exemplaria Graeca et Latina vertendi, strenue suscepit. Quod in praesentia ad nos spectat en tibi, benevole lector, de nova versione «Tusculanarum Disputationum» notitiam.

Hoc. M. T. Ciceronis opus est velut complementum ejusdem doctrinae philosophicae, in quo ratione ad vulgus accommodata, argumentis et exemplis, animi anxietates, quae homines philosophiae expertes perturbare solent, perpenduntur.

Quinque disputationes cum sociis in villa Tusculi habitae totum opus complent. «I De con-

temnenda morte, II De tolerando dolore, III De aegritudine lenienda, IV De reliquis animi perturbationibus, V Virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam».

Dnus. Valenti non tantum in oratoris Romani opere vertendo, laborem impendit, sed copiosam introductionem et eruditissimam adhibuit, in qua praesertim de ipso opere, de Ciceronis philosophia ejusdemque fontibus, de Tusculanarum textu, de earum codicibus, deque praecipuis editionibus pertractat.

Auctor in brevi prooemio singulos operis libros contrahit; et copiosi indices, quibus tria volumina exornat, commodum praebent, sed copiosiores desiderantur.

Versio, tandem, fidelis et accurata est.

F. A. E., *Anuario de la Enseñanza privada en España*, Madrid. — Distribuciones O. D. E. R., Mayor, 81. — Madrid.

Ut superioribus annis Societas «La Federación de Amigos de la Enseñanza», F. A. E., in lucem edidit suum «Annuarium» in quo tres peculiares partes continentur. Ex quibus prima, praecipua capita, in commentario ipsius Institutionis «Athenas» prodita, complectitur; secunda vero Leges, Decreta atque mandata continet quae ex Institutionis Ministerio post superiorem «Annuarium» emanarunt; et, tandem, in tertia parte Collegia, Studentium coetus, Religiosorum domus pro institutione apparent, praeter alia frequentissima loca sub privatorum magistrorum regimine omni laude merita.

Hoc «Annuarium» duplici ratione, praesertim, honore cumulandum videtur; omnibus enim, eruditionem patriam nitide patefacit et commercium inter loca similia instituit ac fovet.

C. CEBRIÁN, C. M. F.

DR. H. RUBENBAUER und DR. J. B. HOFMANN, *Latteinische Grammatik*, 2 Auflage, *Lectiones Latinae*, Leibniz Verlag, München, 1949.

Nova haec editio Grammaticae Latinae eadem ac prima fere manet, quae anno 1928 in lucem prodiiit. Aliqua tamen mutata sunt et in editionis forma et in materia ut melius instructioni consuleretur alumnorum. Hunc in finem et exempla aliqua captu difficiliora suppressa sunt, alia declarata, in faciliora demum alia mutata; plura tamen

adhuc stant, quae a Ciceronis et Caesaris operibus magna ex parte deprompta sunt; dolendum tamen quod loci non indicentur! Laudibus non parvis auctores clarissimi prosequendi sunt cum plurima eaque optima in compendio, non certe magnae molis collegerint, licet non omnia pueris discentibus necessaria, prioribus saltem annis.

Nostro tamen iudicio forsan aliquantum mutandus esset tractationis ordo ut ipsi adolescentuli faciliore gradu a simplicibus ad difficiliora pervenire possint. Sic, ex. gr., verbum «esse» non post, sed ante alia verba memoriae mandare oportere censemus. Quae autem in notula pag. 92 de pronominum usu in linguis recentibus innuuntur accuratius forte exprimenda sunt, cum et Italica et Hispanica et aliae fere semper pronomen omitant personale in usu verborum et persona tantum ex ipso verbo dignoscatur.

Quae tamen nullo modo minuunt operis meritum, cujus doctrina optima dicenda est ejusque logica dispositio cum primis laudanda.

J. GUILLÉN, *Cicerón, su época, su vida y su obra*. — Estudios Clásicos Portuenses. Escelicer, Cádiz. 1951.

Laudibus prosequi oportet Dnum. J. Guillén, qui indefesso labore et assidua opera adolescentium institutioni incumbit. Quod quidem libris ab ipso editis patefit sed in primis hoc quem discipulis perutilem, magistris vero non alienum iudicamus. Cujus si secundi tituli inspicuntur, tota hujus operis materia clarius percipitur, cum opera litteraria ex hominum, rerum, temporum locorum adjunctis praecipue desumantur. Dum vitae Ciceronis tractus enarratur, Romanorum institutiones publicae et privatae explicantur suisque locis praeter iudicium et summam orationum ac librorum rerum gestarum a Romanis enarratio opportune subjungitur. Aliorum scriptorum optima in opere seliguntur, subtilius tamen examen forsitan quis desideret atque altiore animi Ciceronis perscrutationem.

LUDWIG VOIT und MARIA ZIMMEISTER, *Exercitia Latina*, lateinisches Lehr- und Übungsbuch für Oberrealschulen, Vorsemesterkurse und zum Selbstunterricht, I Teil 4 Auflage, II Teil 3 unveränderte Auflage. Verlag von R. Oldenbourg, München.

Is est hujus operis propositus finis ut prae primis alumni, qui aulas gymnasiales — uti vocant — adeunt, prorsus erudiantur. Complementum recte dixeris «Grammaticae Latinae» ab eodem editore in vulgus prolatae. Optimo consilio praecipuas tribuuntur partes versionis Germanica lingua in Latinam. Nam ut merito auctores admonent — quod et repetunt —, alumnos linguam Latinam collere non posse, qui in vertendis scriptoribus e patrio sermone diligenter exculti non fuerint. Illud quoque laude dignum censemus, quod et auctores optime sunt adepti, ut cum grammaticā vita, historia, litterae artesque — quibus gentis constituitur vera indoles et ingenium — alumnis gradatim quasi instillantur. In Exercitiis distribuendis ordo paedagogicus, juxta grammaticam servatur; itaque volumen primum primo cursui proponitur, secundum vero a capite primo ad tricesimum cursui secundo, ac deinceps ad caput quinquagesimum tertio. Pauca menda typographica irrepererunt, quae lector facile corriget. Exercitia optima censemus.

F. M. ALBA, C. M. F.

EUGEN DIETH, *Vademecum der Phonetik*. — Phonetische Grundlage für das wissenschaftliche und praktische Studium der Sprachen. — 452 pg. — A Francke AG. Verlag, Bern. — 1950.

En librum perutilem iis qui sese quaestionibus philologicis magno studio dicant. Auctor, postquam in introductione discrimen protulit inter phoneticam et phonologiam — quas saepe non pauci neque ignobiles scriptores promiscue usurparunt — unam aggreditur phoneticam; ante oculos ponit atque perite omnes, quae phoneticae dicuntur, leges explicat. Opus clarissimum auctor in quattuor sectiones dividit, in quibus — aliis divisionibus atque partitionibus rite ac logice peractis —, de sonitus comprehensione ac reproductione, de ejus physicis et physiologicis causis, de sonitibus physiologicis, acustice, historice phonologicis consideratis, et demum de syllaba: de ejus natura, partibus, cet., agit; opus, satis paedagogice exponitur, atque picturis graphicis ad majorem principiorum expositorum intelligentiam abundat. Monitum illud in introductione de necessitate phoneticae ad securius vocum etymologias preferendas, opportunum videtur, nam multae, quae

in verbis fiunt, mutationes in una eademque radice, praetermissis legibus phoneticis, valde obscurae manerent, ne dicam fere incognitae. In his legibus exponendis auctor ad linguas Germanicas-romanicas sese contrahit, et in primis ad veterem Germanicam, Anglicam, Gallicam.

DR. LUDWIG FRÜCHTEL, *Griechische Grammatik*, 243 pag.; *Griechische Übungsbuch*, erster, zweiter und dritter Band. Bayerischer Schulbuch Verlag, München, 1948.

Ingenti Graecarum grammaticarum numero aliam, nullo modo supervacaneam, Dr. L. Früchtel accurata editione addit; ad cujus commendationem satis est dicere eam, tam ob typographiae speciem ac distributionem quam ob doctrinae ordinationem et claritatem in grammaticalibus conceptibus explanandis, puerorum mentes facile rapere et quasi allicere ad litteras Graecas libenter addiscendas — incipientibus non raro aliorum fama re ipsa difficiliore —. Rerum brevitate et concisione eminet phonologia, quam saepe quidam grammatici nimis scientificis enodationibus, principio minime convenientibus, protrahentes, adulescentulos ab incepto fere retrahunt. Plerumque tritum expositionis rerum ordinem sequitur, eamque a Germanis acceptam methodum: sic ut exemplum afferam eam, quam nos primam in -α declinationem nuncupamus, illi secundam «die -α Deklination», et quam nos in -ο secundam, illi primam «die -ο Deklination» appellant. Similiter de verborum paradigmate fere idem dicendum, quanquam id in praefatione auctor consulto praemonet, quod paulo differentius a nobis traditur.

Appendix in fine invenitur de vocabulis effingendis, componendis, cet., de arte metrica, de quibusdam praecipuis institutionibus: de ponderibus, de mensuris, de nummis, de temporibus, cet., graphice descriptis ubi opportunum videtur. Duo rerum indices finem faciunt, Graecus primus, Germanus alter.

Tres «Exercitationum» libri — *Griechisches Übungsbuch* — Grammaticam sano judicio complent, qui quidem libri omnes accurata forma et labore praestant eaque moderata difficultate qua alumni ordinatim ac per gradus exerceantur. In capite cujusque thematis numeri praefiguntur ad «Grammaticae» tractatus consulendos.

J. ALOISIUS BAQUERO, C. M. F.

SPES — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino. Prólogo de D. Vicente García de Diego, de la Real Academia Española y del Instituto Cardenal Cisneros. Con un apéndice-resumen de Gramática Latina.

3.ª edición revisada y ampliada con LATIN ECLESIASTICO por el cuerpo de redactores de PALAESTRA LATINA.

Un volumen de 728 págs.: Ptas. 55.

SPES — Diccionario Abreviado Latino-Español Español-Latino, con ilustraciones, para los primeros cursos del Bachillerato.

Un volumen de 312 págs.: Ptas. 25.

ECHAURI — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino.

6.ª edición corregida y ampliada.

Un volumen de 830 págs.: Ptas. 50.

PABON-ECHAURI — Diccionario Griego-Español, con lista alfabética de formas verbales y apéndice gramatical.

2.ª edición corregida y ampliada.

Un volumen de 602 págs.: Ptas. 40.

---

PUBLICACIONES Y EDICIONES SPES, S. A.

« EDITORIAL SPES »

Avenida de Carlos I, 149

BARCELONA - 13


Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

**VINOS DE MISA**

**DE MULLER, S. A.**

**TARRAGONA**

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

**Garantía de absoluta pureza**

**EXQUISITA CALIDAD**

Certificados del Excmo Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

- JUL. — *Omnia cum croceo volitant examina melle  
et stridore replent auras montesque sonoro.  
Mensis laetatur per campos clausa myricis.  
Si Virgo cedit, cernes arescere frondes.*
- MEL. — *Huc venias, Mater; compellas lenibus imbres  
ventis. Quid pecori putatum donet Amyntas?  
Silvae mutescunt. Non audet fulva lacerta  
reperere per rupes. Aestus mitesce, Puella.*
- JUL. — *Messibus et nimbus violis arridet amoenis,  
per pateras apibus flagrans in flore thymumque  
capreolis quoque fronde tenellis carpere summum.  
At cantus melius Tibi rident, munus amoris.*
- MEL. — *Ense cruentos vomeris atrox calcat arator  
impius et flores, et rostra sinistra trucidant  
agnellos aquilae, salices attondit amaras  
haedus. Colligis at campi, Regina, coronas.*
- JUL. — *Pulcrior, o Virgo, surgis nive montibus alta,  
risu permulsa lucis, mihi dulcior haedo.  
Omnia Tu vincis, Tibi si certare venustum  
audet. Ave jubaris victrix nitidissima stella.*
- MEL. — *Ardentes solis radios debellat imago  
vultus splendentis. Tu cum per mota creatrix  
aëra progredieris, cum sol mediusque refulget  
subicit ignis sol crines, quos candida pressas.*
- JUL. — *Jam domus haeret laetitiae, cantate Mariae.  
Carpit enim puer in rivo fervente colore  
rubra papavera; cum violis altare micabit.  
Congressi noctuque rosas effundimus omnes.*
- MEL. — *Pauper, quid faciat? Matri quid donet honoris?  
Capreolus jacet et munus servare cupivi.  
Cur vitulae cessant? quis, Virgo, corripit agnos?  
Subvenias pecori, Mater, nobisque magistris.*
- AMYNTAS. — *Tu sine nunc, Meliboee: etenim pressare capellis  
ubera coepi; sed frustra. Lac praecipit aestus.  
Noctis jam gradiuntur lumina. Tecta petamus.  
Usque canentem cerno. Capellas... servat Amyntas.*

FRANCISCUS LAGE MARTINEZ  
(e III Latinitatis Cursu)

Spini, in *Juvenatu* C. SS. R., 15-V-1950.

# Compositiones Vertendae

CICERON (IV)

Fué el más insigne de los abogados (46) y gran orador político (47). Ninguno habló más ni mejor que él (48); ninguno buscó con más ardor (49) la gloria mediante la defensa (50) de los inocentes; ninguno ejercitó aquel noble oficio (51) con más arte (52) o (53) más ingenio o más afecto (54); ninguno consiguió triunfos más ruidosos (55). Maravillosa es en sus defensas (56) ya (57) la simetría del plan (58) ya la destreza (59) con que desde el principio (60) sabe (61) captarse la benevolencia y la atención de los oyentes (62) y procura además recrearlos con frases breves e ingeniosas (63).

NOTAS: (46) *Primum o principem inter auctores causarum locum obtinere.* (47) *Orator civilis.* (48) *Copiosius aut gravius dicere.* (49) *Studiosus.* (50) *Defensio.* (51) *Fungi munere honestissimo.* (52) *Doctrina.* (53) *Aut.* (54) *Studium.* (55) *Tot ac tantas victorias consequi.* (56) *Orationes (= discursos-defensa).* (57) *Cum, tum (= ya, ya).* (58) *Partium convenientia.* (59) *Eximia illa vires causarum locum obtinere.* (60) *Initio dicendi.* (61) Este verbo es fraseológico = se capta. (62) *Eum qui audit benevolum sibi facere et docilem et attentum, o animum auditoris retinere attentum.* (63) *Breviter acuteque dicitis animos laxare.*

## DIONISIO, EL TIRANO

Cuéntase (1) que Dionisio queriendo jugar a la pelota (2), al quitarse (3) la túnica, —puestó que lo hacía (4) apasionadamente (5)—, entregó la espada a un jovencito (6) que amaba. Como cierto familiar suyo le hubiese dicho bromeando (7): «A este al menos (8) confías tu existencia», (9) y se hubiese reído (10) el joven, mandó (11) matar a uno y a otro (12); al uno por haber mostrado el modo (13) de asesinarle (14), al otro por haber aprobado la ocurrencia (15) con su risa (16); pero tanto se dolió de este hecho, que no soportó nada con más pesar (17) en su vida: había muerto (18) a quien vehementemente había amado:

NOTAS: (1) *Dicere.* (2) *Pila ludere.* (3) *Depo- nere.* (4) *Facilitare.* (5) *Studiosus.* (6) *Adulescentulus.* (7) *Jocari.* (8) *Quidem.* (9) *Vitam committere.* (10) *Arridere.* (11) *Jubere.* (12) *Inter.* (13) *Via.* (14) *Interim.* (15) *Dictum.* (16) *Causales subj.* (17) *Graviter ferre.* (18) *Occidere.*

Ordinarli ac Superlorum licentia

### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America, 22 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.